

8.
ANNIVERSARIA
IN HONOREM

CLARISSIMI CON-
SULTISSIMIQUE VIRI, D. HV-
GONIS DONELLI, CABILLONENSIS
GALLI; V. I. D. & ANTECESSORIS: qui
III. MAII Nonarum anni superio-
ris, piè in CHRISTO Altor-
phij decessit:

*Conscripta & habita publicè in eadem Academia,
die MAII mensis quarto, à reparata
nostra salute anni*

1 5 9 2.

PER

DN. CASPARVM PAVMGARTNER,
PATRICIVM NORIBERGENSEM.



ALTORPHII,
TYPIS CHRISTOPHORI LOCHNERI, ET
IOHANNIS HOFMANNI, Typographorum
Academicorum.

ANNO 1782
IN KÖNIGLICHEN

CLARISSIMI

SVBSTITVTIONIS VIRI D. BV

COMITIS DOMINICAE CARILLONENSIS

CAUSAE V. D. & ANTONII

DE MARISSIMO

ET ALII

1782

Conspectus et Synopsis

de MariSSimo

et alii

1782

1782

DE CASPARO VANMAGARTIER

PATROIS NORTHESEM



TYRIS ERNST OPFORD

JOHANN HORN

1782



SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D. FRI-
DERICO III. PALATINO AD RHENVUM;

Sacri Romani Impetij Archidapifero ac ELECTORI;

Duci Bauariae &c. Domino suo
clementissimo.



*I*VM inprimis, CONSTANTEM
ac SINCERVM Religionis nostræ
Christiana, unice vera, uniceq;
saluantis amplificanda, disse-
minanda, propugnandaue ar-
dorem: felicem dein, perennem ac diuturnum,
inita nuper, ipso auspice CHRISTO, gubernationis
cursum: assidua denique animi corporis ac for-
tuna bonorum incrementa, Ser^{ma}. Cels. T. Prin-
ceps ELECTOR, toto pectore comprecor.

Recepta fuit jam olim, Clementissime Do-
mine, non in Ecclesia modò politicaque Judaica,
sed & apud plerasque gentes humaniores con-
suetudo, & mos inoleuit propè perpetuus; qui
vel gloria bellica cateris prastitissent, aut alio-

quin pacis adiuuissent Rempublicam artibus; ijs
ut non iusta solum opulenter, magnificeque cele-
brarentur; sed & solennis eorum post mortem,
publicè susciperetur laudatio. Sic quidem Israël
Rex & Propheta DEO carus DAVID, antecesso-
ris sui, quamuis inimicissimi laudes funebri est
carmine complexus. Sic item integrum ^{τοῦ αἰῶνος}
αἰῶνος, aut de Illustrum virorum vitis volumen
Plutarchus descripsit: & THEMISTOCLES, Athe-
niensium contra Persas Imperator, MILTIADIS
se trophæis, clarissimi Ducis, excitari è somno
dixit: ideoque illius amulatus decus, pulsus Gra-
cia hostibus, ob præcipuam fortitudinis palmam,
bello princeps iudicatus, simul & ATHENARVM
patriæ gloriam maximoperè adauxit. Consimili-
ratione L. JUNIUS BRVTVS, is, qui tantum glo-
ria, nominis ac fame, SVPERBO exacto Rege,
huiusq; consceleratissimis filijs meruit; ubi libe-
rata patria, Consul pro Republica Romana in
TARQVINIOS dimicans, occubisset; à P. VA-
LERIO, in Consulatu Collega, cui PVBLICOLÆ
deinceps cognomen, laudatus est; & utrunque
annum integrum, qui decem tum mensibus finie-
batur, Matronæ Romanae, quòd tam acres vio-
lata

lata *LVCRETIÆ* vindices fuissent, & oppressæ
pudicitia ultores, luxerunt. Sed & Romana
plebs, jam indè à paternis certaminibus inuisum
sibi infestumque *APPIVM* Claudium, solenni hoc
fraudari honore per *Tribunos* libertatis plebeie
custodes, noluit: verùm eius laudationem tam
æquis audiuit auribus mortui, quàm accusatio-
nem audierat viui.

Matribus porrò Romanis honorem hunc,
vt scilicet earum, sicuti virorum, solennis post
obitum esset laudatio, anno demùm ab urbe con-
dita, eodemq; à *GALLIS* capta, ter centesimo,
sexagesimo quinto, *Senatusconsulto* esse additū,
Historiarum annotarunt monumenta: idque
inter alias grauissimas, ob hanc etiam, opinor,
causam: vti, quod certamen virtutum, aureis
illis, & præstantium Ingeniorum feracissimis se-
culis, viros teneret: idem esset pudicitia & con-
genita in patriam charitatis inter familiarum
matres studium, & mutua inuicem emulatio.
Et laudarunt quidè alij alias. C. certè *IULIVS*
CÆSAR, qui primus in speciem Principatus Ro-
manorum Remp: conuertit, primus etiam uxo-
rem *CORNELIAM* demortuam laudatione pro-

secutus est: JULIAM item amatam, MARIi Con-
iugem, luculenta pro Rostris oratione cohonestauit: matrem denique AVRELIAM, qua purè ac
elegantè Romanè loquens, domestica consuetu-
dine filij sermonem latinum excoluerat, ipse vi-
cissim pietatis ductu laudauit. Sed & LIVIÆ
AVGVSTI, auia, præter hæc, diuinos honores de-
cernendos, huius è DRVSO filio Nepos, CLAV-
DIVS Caesar curauit: laudauit q̄ POPPÆAM suam
Sabinam ipse NERO.

Solebant præterea veteres amore virtutum
& observatione, præstantium Imagines virorum
in Bibliothecis aureas, argenteas, æreas ab eorū
excessu dicare. Quin & Asinius POLLIO, qui
primus Bibliothecā Romæ publicauit, M. VAR-
RONIS, Romanorum omnium doctissimi, adhuc
tūm viuentis Imaginem posuit. LYCVRGO au-
tem Lacedæmonij Templum & annuas celebri-
tates: amici dies, (Lycurgidas appellarunt) cer-
tos, virtutis ac memoriæ causa consecrarunt.
Alia deniq; alibi sunt alijs honorum monumenta
decreta.

Tandem verò in Academias paulatim est
hic mos traductus: ut que ij, qui piè vixissent &
lauda-

laudabiliter, elogio publico concelebrarentur, institutum.

Et hac quidem subnixus consuetudine Vir Clarissimus, D. D. MICHAEL TEVBERVS J. C. Academia tūm VVITEBERGENSIS Rector; anno supra sesquimillesimū sexagesimo sexto, mense Januario, cū allatum eò esset, Amplissimum & prudentissimum Reipublicæ NORICÆ Triumvirum, meum verò gentilem, D. Hieronymum PAVMGARTNERVM, quem in Ser^m. C. T. ditionum confinio, à Comitijs Spirensibus redeuntem, anno 44. Albertus Rosenbergius interceptat, alienissimo quidem tempore, felicissimè tamen in patria cum morte vitam commutasse: proposito Edicto, singula Vniuersitatis membra, ad cohonestandam tanti viri memoriam, qui nocuisset prorsus nemini; profuisset autem quàm plurimis, conuocauit: ipseq; unà cum Illustrissimis Pomerania Ducibus fratribus ERNESTO LVDOVICO & BARNIMO, carminis Heroici, quo elegantissimo integram PAVMGARTNERI vitam, eiusq; in patriam Rempublicam diuina prorsus merita Vir Ornatissimus, doctissimusq; GEORGIVS MAVRICIVS Pöeta, benemerito Patrono
pro

pro virili condignas referens gratias, concluserat, recitationi benignè interfuit.

His & ego antiquitatis continuato hactenus usu corroboratis vestigijs insistens: quem anno superiore Juris Justitiæq; Monarcham, sinistra literaria Republica fata (heu nimis properè) abstulerunt, Viri Clarissimi D. HUGONIS DONELLI memoria, IIII. Non: Mayj, non ea quidem in alma SENATVS NORICI Academia ALTORPHINA fiducia parentavi: quòd paria meritissimis illius laudibus adducere verba me posse confiderem: sed hoc tamen consilio, uti ad eos, quibus ille forsitan minus fuisset notus, quiq; sempiternitati consecrata illius monumenta lecturi fortè nunquam essent: ad eos inquam, uti hac ratione qualiscunque tanti, tam rari & admirabilis perueniret viri notitia.

Eam modò typis publicè proCUSAM Orationem, Ser^{ma}. C. T. MEQ; SIMVL IPSVM duabus precipuè rebus motus dicare propria constitui.

Quia enim, cuius ità renouare memoriam studuimus, D. DONELLVS sub Serenissimi Principis, T. C. Aui paterni, beatissima recordationis FRIDERICI Electoris II. auspicijs in nobilissima

EDENBURGensi, primaria GERMANIÆ A-
cademia Ciuile Jus publicè maximo Audito-
rum concursu, nec minoribus suimet illorumq;
laudibus & profectu, è Gallijs ob doctrinae amo-
rem cœlestis, ac susceptam ibidem catholicam ca-
colycorum in vera CHRISTI membra persecutio-
nem ad nos profugiens primùm docuit: non sanè
ingratum Ser^{ma} C. T. neq; adeò futurum ἀπρεπὲς
arbitratus sum; illius si dignitatis non minus
Electoralis, quàm auita in viros doctos munifi-
centiæ, reliquarumq;, magnum quæ condecet
Principem, Virtutum Hæredi, effigiem ac ima-
ginem DONELLI transmitterem demortui. Cui
& hæc accessit causa, quòd singularis illius, qua
Illustrissima BRANDEBURGI Marchionissa MA-
RIA, Ser^{ma} quæ C. T. laudatissima fuit auia,
cum C. T. Ser^{ma} patruī D. CHRISTOPHORI
PALATINI, felicissima nunquamq; intermori-
tura memoriæ Principis seruitio addictus, unà
cum illius C. sub excellentissimi Geographi Tile-
manni STELLÆ disciplina per biennium habitus
fui, prosecuta est, pietatis ferè maternæ memor:
erga Ser^{mam} C. T. illius Nepotem, saltē hocce
veluti ἀπρεπὲς ἡμῶν gratum me, nec immemorem
ostendere volui.

B

Seren.

Ser^{ma} itaq³ C. T. Domine clementissime,
quàm possum maxima submissione oro rogoque,
Et sicut, obtestor etiam, uti hoc meum, leuidentse
quidem Et pertenuè, ex optimo tamen, Et Ser^{ma}
C. T. uniuersaq³ illius, toto terrarum Orbe con-
celebratissima familia PALATINÆ deuotissimo
animo profectum munusculum, hilari, lata Et
exporrecta fronte clementer suscipiat, sibiq³ me,
clientem suum humilimum quàm commenda-
tissimum habere dignetur. Ego vicissim, id quod
meorum esse partium intelligo, ter OPT: MAX:
DEO precibus assiduis Ser^{ma} C. T. salutem Et
incolumitatem, non minus ac meam propriam,
sedulo commendaturus, id à prepotenti eius ma-
iestate suspirijs indefessis contendam, quò Ser^{ma}
C. T. gubernatio augustissimo illius sit nomini
correspondens, vereq³ dici possit esse FRIDERICH,
Fried vnd Frewdenreich, alta nimirum pace Ser^{ma}
primùm C. T. Et dein huius fidei ac tutela com-
missis diuinitus populis subindè magis atq³ ma-
gis lata felix Et salutaris: omninoq³ talis, qualem
C. T. Ser^{ma} Maioribus, Et superiorib. illis FRI-
DERICIS, quorum in Orationis huius contextu
aliquam fecimus mentionem, diuina est bonitas
clemen-

*clementer elargita; Quae & ipsa Ser^{ma} C. T.
Reipublica Christiana, Nationisque nostra Ger-
manica IMPERIO SACRO, quàm diutissimè flo-
rentem, saluam & incolumem conseruare: com-
parique aliquando pietate, natalibus & indole
velit Coniuge beare. Noriberga XVII. Calend.
Ivni. Salutis anno supra sesquimillesimum
Nonagesimo secundo.*

Ser^{ma} C. T.

*deuotissimus
cliens*

**CASPARVS PAVMGARTNER
Senior.**

B 2

AD

AD

AMPLISSIMOS

ET PRVDENTISSIMOS,

PIETATE, VIRTVTIBVS, MVLTORUM
rerum usuprestantissimos Viros & DD. Hieronymum PAVM-
GARTNER, REIP: NORIBERGENSIS DuumVirum: Iulium
item & Antonium GEVDEROS ab Heroltzberg: Paulum
COLERV̄M: TreVirum & Coss. eiusdem: Ecclesiarum porro
Scholarumue NORICÆ ditionis ἀρχόντας: D. demum Philip-
pum CAMERARIUM I. V. D. & Academia ALTOR-

PHINÆ ViceCancellarium digniss. agnatum

& affines suos observandiss. &
observandos

πρὸς φωνήσις.



EST modò, eritq; semper apud poste-
ros, Republicæ nostræ Academia
ALTORPHINA, cuius vos curæ, Vi-
ri prudentissimi, ab Amplissimo SE-
NATV, velut ἐργοδιώκται aut ἐραβεύται
præfecti estis, perpetuum pietatis primùm erga DE-
VM OPT. MAX. & in veram Religionem Zeli: ar-
dentis indè nec simulati erga vicinas exterascq; gentes
amoris μνημόσυνον & monumentum perpetuum. Cu-
ius enim, quæso, modi ab Ordine amplissimo susci-
pi potuisset, aut maturior? vel ipsi diuino Numini,
quod κεινωτικόν est ἀγαθόν, pijs Magistratibus nomen su-
um, DEOS illos proclamando, communicans, gra-
tior &

tior? uniuerso demùm humano generi salubrior,
quàm ea ipsa, qua constituendæ huic auspicatissimæ
ACADEMIÆ, sancti dubio procul Spiritus impulsu,
animum adiecit, cogitatio? Hoc siquidem ipso sa-
pientissimè prouisum, ut non Ciuium modò nostro-
rum Infantes pueruli, uberibus, lacteque materno de-
pulsu, verùm & à vicinis nobis populis, remotisque
Nationibus conuenientes adolescentuli aris admo-
ueantur Tabernaculi, incipientque, quantumuis bal-
butiente lingua, σωτήρος αὐτῶν Θεοῦ suppliciter nomen
inuocare: Simulque πάσης τῆς σοφίας ἀρχήν τε ἢ πηγὴν im-
bibere, Pietatis catechetico comprehensam Docto-
ris LV THERI, sacrosanctæ memoriæ, libello ἐνοπέ-
βαια: Logices indè ubi perdidicerint elementa, pau-
latim scribendorum & vertendorum, latino græcoque
idiomate, argumentorum siue propositarum materia-
rum corroborentur exercitijs tantisper, donec ad
πολυμάθειαν & λογίτητα deduci ac fragrantia semper
Philosophiæ prout utiliter possint, inque ijs Physices,
Ethicæ, Mathematicæ, Arithmetices, Geometriæ,
aliarumque honestissimarum disciplinarum arcana per-
discendo, rerum, uti pulcherrimarum, ita & maximè
necessariarum γνώσει sibi comparent, hæcque succincti,
ad Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinarum pene-
tralia perueniant, & indè expectatissimos Ecclesiis
pariter ac Rebus publicis fructus afferant & emolu-
menta: de quibus tamen in præsentiarum nostri non
est instituti differere pluribus. Dies olim & veritatis

mater tempus, quin Extremi Iudicij dies, ipsiusque
ἀρχαίῃ καὶ ἑρανοδιδασκάλῃ nostri exceptione omni
maius testimonium, quàm benè de uniuersis & singu-
lis Ecclesiae membris Senatus noster amplissimus in
erigenda & adornanda hac Academia promeritus sit,
sufficenter haud dubiè inspectantibus Angelicis ac
Electorum choris commonstrabit. Interim autem
tanta & tam liberalis munificentia, quæ non suis sal-
tem Ciuibus hac ratione consultum vult, sed vt &
foras eius riuuli deriuentur elaborat, iustissimo suo
elogio & grata prædicatione non est defraudanda;
minimeque dubito, quàm plurimos, qui in hac Acade-
mia vestra illum incomparabilis virtutis Rhetorem,
Valentinum ERYTHRÆVM, Doctorem itèm
FREIGIVM, Philosophum ac Iurisconsultum exi-
mium, & tandèm Iuris tam diuini quàm humani Mo-
narcham, HVGONEM, (heu quondam nostrum)
DONELLVM, felicissimæ omnes recordationis au-
diuerunt, eque illorum prælectionibus, monitis, con-
uersatione meliores euaserunt & doctiores, iam iam,
fufis piè ad DEVM precibus, Reip. nostræ statum ac
diuturnitatem illius fideliter protectioni commenda-
re. Nunc, quia intra primum susceptæ functionis
annum D. Erythræus piè in CHRISTO Altorphij
obdormiuit: THOMAS autem Freigius, nescio qua
perturbatione commotus, Friburgum indè se, sini-
stro suo fato contulit: factum quidem, vt aliquam
remoram studiosa Iuuentus perpessa sit; Verùm Do-
ctoris

ctoris DONELLI è nostra in æternam Academiam
discessu, quantam Legalis Studiosi disciplinæ iactu-
ram fecerint: res ipsa loquitur; plurimorum id ama-
rissimæ docent lachrymæ: ipsa deniq; Successoris in
defuncti stationem substituendi obiecta hæctenus
A. V. Scholarchæ prudentissimi, difficultas abun-
dè, nec sine maximo vestri Ordinis dolore contesta-
tur: adeò, vt quod Romano Consuli T. QUINTIO
PHILIPPVS Macedonum Rex argutè respondit:
non æquè difficulter Ætolos Prætorem alium, ac
Macedones Regem in ipsius locum substituere posse:
id ipsum A. sint V. in hunc usq; diem, tractando hoc
negocio, & refugientibus doctissimis quibusq;, im-
pares se illi hoc ipso professis, DONELLI conscen-
dere cathedram, expertæ.

In eius igitur tanti, tam rari, & maximorum me-
ritorum Viri, qui triennium integrum nobiscum
vixit, & si viuere diutius licuisset, id totum ALTOR-
PHII, Galliam ob Parisinam lanienam abominatus,
vixisset, honorem gratamq; memoriam, hunc quem
A. V. modò perpendendum offero, ἄσπον siue Ora-
tionem,ijs adductus rationibus, quas in ipsius vesti-
bulo Sermonis assignatas reperietis, exaravi: & quia
de voluntate vestra eandem IIII. Nonarum Maij,
ASCENSIONI Dominicæ sacro die, quoq; ipso,
superiori anno è viuis D. DONELLVS sublatus est,
finitis sacris in alma Reip. nostræ Academia habere
consti-

constitutum nobis est: A. V. quanta possum & debeo submissione, uti sua gravissima presentia honestissimum illum actum exornare, hocque ipso affectionem, & benignissimam, qua viuum DONELLVM prosecuta sunt, voluntatem renouare, testatamque facere palam omnibus dignentur, oro, rogoque. Id quod non mihi modo honorificum, sed & pijs caelo nunc recepti DONELLI manibus, quosque is laborum scholasticorum superstitis reliquit socios, Academiae vestrae Professoribus, ac Praeceptoribus futurum est longe gratissimum: calcarque ijs addet vel maximum, uti perspecta hac V. A. erga illorum Collegam, huiusque relictam Viduam pietate, vel seipsum infideliter instituenda Iuuentute sint assiduitate indefessa enifuri vincere. Tandem, ut A. V. fauore me suo complecti pergant, peto; quas ego vicissim praepotentis DEI tutelae ac numini ex intimis pectoris mei recessibus, ob Ecclesiae, Scholarum & Reipublicae, inprimis autem Academiae Altorphinae incrementum insinuare non sum unquam cessaturus. Noribergae in nostro $\phi\theta\omicron\nu\tau\iota\sigma\eta\epsilon\lambda\omega$, Diui GEORGII festodie, Anni M. D. XCII.

A. V.

Observantis.

Casparus Paumgartner
Senior.



PROGRAMMA.

RECTOR VNI-
VERSITATIS ALTOR-
PHINÆ, NICOLAUS TAVRELLVS
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINARVM DO-
CTOR, SINGVLIS AC VNIVERSIS
ACADEMIÆ HVIVS
MEMBRIS

S. P. D.



Instat illa dies, quæ nobis ante annum magno
huius Academiæ detrimento, nec minore no-
stro omnium luctu & mærore HVGONEM DO-
NELLVN, insigni pietate Virum, jurisq; scientia
incomparabili; scriptis suis in lucem editis, de omnibus
Europæ scholis, vivæq; etiam vocis officio & elegantiâ,
de hac & Germaniæ Academiis bene meritum ademit &
eripuit, Cui paulo quidem post Clariss. Vir Scipio Genti-
lis oratione non minus elegante, quàm luctuosa & lamen-
tabili parentavit. Ne tamen temporis longinquitas tanti
Viri memoriam nobis fortè adimeret, vel obliteraret: no-
bilis & eruditus Vir Casparus Paumgartnerus nostrum no-
bis

C

bis

bis renovare dolorem, & exequias Academicas urbano & patritio decore supplere constituit. Rogamus ergo & hortamur omnes omnium facultatum Doctores & Professores, honestosq; studiosos, ut perendie (quæ quarta Maij dies gloriosæ nostri Redemptoris ascensionis dicata est) hora ante meridiem octava, in auditorium VVelsarianum conveniant: audituri quo se partim recreent: partim vero etiam sese piæ Celeberrimi DONELLI memoriæ componant & redintegrent. 2. Maij 92.





ANNIVERSARIA
IN HONOREM

CLARISSIMI
CONSULTISSIMIQUE
VIRI D. HUGONIS DONELLI, CABIL-
nensis GALLI; V. I. D. & ANTECESSORIS: qui IIII.
MAII Nonarum anni superioris, piè in
CHRISTO Altorphij
decessit.

*Conscrip̃ta & habita publicè in eadem Academia, die MAII
mensis quarto, à reparata nostra salute anni*

1 5 9 2.

Per

DN. CASPARVM PAVMGARTNER PATRI-
CIVM NORIBERGENSEM.



*QUEM Virum; & cuius arma in-
signis pietate Viri, fide, virtuteq;
prestantis, diuine vena P. Virgi-
lius MARO eleganter, grauiterq;
descripsit: TROS ANCHISIADES;
Romani author, principis quondam per Orbem
terrarum, populi, nobilissimaq; CÆSARVM gen-
tis Jv-*

C 2

tis Jv-

ORATIO FVNEBRIS.

tis JULIÆ conditor: Is affinis sui POLYDORI necem indignissimam, violataq; nefariè à barbaro Thracum Tyranno hospitalitatis jura, Tyrriorum Regina DIDONI commemoraturus; subito, tanti forsitan atrocitate facinoris, rerumque perturbatus mole: Eloquar? exclamat, an fileam?

Hoc idem mihi Amplissimi & prudentissimi Scholarchæ, Magnifice D. Rector, Comes Generose, Doctores Clarissimi Magistri spectabiles, Nobilissimi adolescentes, Studiosiq; Juvenes, hodierno die usu venire, adeoq; in maxima me constitutum angustia, ipsa quidem re comperior.

Dùm enim in hoc augustissimo, laudatissimo, amplissimo summorum, summa pietate Virtutumq; ubertate, & qui comitari has ferè solent, honoribus summis excellentissimorum Virorum; summa etiàm adolescentis spei expectatione primaria è Nobilitate Juvenum confessu: aequè pijsimi, clarissimique D. HVGONIS DONELLI (què OPT. MAX. DEVS, anno superiore, hoc ipso, IIII. nimirum Nonarum Maij die, circa meridiem, hinc, & ex hac nostra ad eternam Aca-
demiã,

ORATIO FVNEBRIS.

*demiam, εἰς μακρότερον χρόνον, placidè seuocauit) sacro-
rum legalium Antistitis fidelissimi, religionem,
pietatem, grauitatem, continentiam, maturita-
tem, ἀντιστοιχείαν, sobrietatem, reliquasque, quibus
exornatus is diuinitus præ cæteris largissimè
fuit, Virtutes, harumque pedissequas, HONORES,
adeoque totam, & omni ex parte laudabiliter
ceptam, transactam, & singulari DEI beneficio,
felicissimè positam vitam: Dùm igitur hac non
exprimenda quidem à me pro ipsorum dignitate
penitus (id quod & alijs multùm exercitatori-
bus, omnibusque ad id rebus instructis magis, non
itè facile, sed Cicero forsitan aut Demosthenes
ab inferis reuocandi) attingenda tamen esse,
proque virili mea parte delibanda considero: mea-
rum contra virium imbecillitatem, & quàm
nulla prorsus in me dicendi vis sit & facultas,
paulo mecum attentius perpendo: quin animo
vel quàm grauissimè conturber, fieri certè non
potest.*

*Subuerendum siquidem mihi, ne apud ple-
rosque vel odiosum istud incurram ἀλαστίας cri-
men, & impudentiæ potius, quàm imprudentiæ*

ORATIO FVNEBRIS.

subeam notam: aut certè minus meipsum, me-
amq̃ videar tenuitatem nouisse; adeoque imme-
mor prorsus esse aurei illius, quod ἡρώδης nos ju-
bet εὐατὸς, Oraculi, jam olim prospicio.

Hinc sanè, quodq̃ vererer tanti laudes Viri
culpa minus fœcundi deterere ingenij, aut alio-
quin minus de me commodam suscitare opinio-
nem: perparùm, quin totam hanc in presentia-
rum apud vos dicendi rationem omitterem, ab-
fuisse haud planè diffiteor.

Sed confirmarunt me in contrarium oblata
quadam, (non vana spero) auguria: subjūq̃ illa
cum primis spei plena cogitatio animum: quia
vel ipsi DEO, Vniuersitatis huius, adeoque no-
strum omnium parenti, quæ pro viribus quisque
facit sacra, pietas modò adsit vera, puritasque
mentis, grata sunt & accepta; utq̃ in prouerbio
est, qui thura non habent, ijs salsa mola litare
permissum: U. quoq̃ A. & Ex: vosq̃ omnes, pro
pietate vestra non minus quàm bonitate, quia
ceptis vires defuturas videbitis, saltē volun-
tatem hanc piam & conatus equi esse bonique
consulturos.

Et hoc

ORATIO FVNEBRIS.

Et hoc quidem eo magis, quòd quidam ex vobis Scholarcha amplissimi, Legalisq; disciplina lumina, Doctore DONELLO in Gallijs Civile Jus explicante, frequentissimi illius Auditorij BITVRIGIBVS pars ipsi non vltima fueritis: reliqui verò in alma hac Academia propius illum nouisse plerique, & quæ de summis ipsius Virtutibus, nudè, succinctèue dicturi jam sumus, animis videamini habere præconcepta.

Reipublicæ præterea, vitæq; hominum communi vel quàm maximè prodesse, eorum si laudes ac encomia, qui virtute, honoribus, fama excelluere, nostriq; DONELLI fuerunt quàm similibi, celebrentur, & indè à succrescente atate, veluti ad moru Cynosuram, virtutum omnium, fama, honorum exempla petantur: solertissimi quique MORALIS Philosophiæ Doctores rectè semper censuerunt. Ea certè propter apud grauißimum Poëtam grauißimè filium pater monet Ascanium, uti Virtutem ex se, verumq; laborem puer discat: Fortunam ex alijs. Quo versu nullum reperiri dulciorem toto illo poëmate, Quintilianus asserere non dubitauit. Parem ob causam,
Romane

ORATIO FVNEBRIS.

Romana princeps Historia, quo loco L. AEMILII
Pauli miserabiliter orbitatem describit; ^{καθηλικός}
admodum, morte decessisse præpropera eos Lucij
filios, quos prætextatos curru vehi cum patre,
ipsis sibi consimiles prædestinantes triumphos o-
portuisset, subjungit. Hinc & præclare Poëta
Lyricus:

Sic me (patrem innuit)

Formabat puerum dictis: & sine iubebat

Vt facerem quid: Habes authorem, quo facias hoc:

Vnum ex Iudicibus selectis obijciebat:

ab ijs nimirum, qui toto vitæ cursu in laude ipsi
vixissent, eoque prudentia, fortitudinis, justitie
ac integritatis justissimam sibi comparassent ex-
istimationem, virtutis & officiorum publicè pri-
uatimq; desumendam sapienter normam admo-
nens.

Accessit jam dictis illa singularis, qua D. pa-
rentem meum prosecutus est benevolentia, quem-
que mihi toto illo triennio, quo nobiscum D. DO-
NELLVS vixit, perpetuò præstitit, amor & pro-
pensio: pro quibus certè ^{καθηλικός} hoc quaecunq;
p̄ eiusdem Manes à nobis jure quodam suo re-
quirere, quasiq; efflagitare visi.

Militat

ORATIO FVNEBRIS.

Militat ad hæc pro nobis vestra quoq; Scholarcha Amplissimi, quorum ego judicijs plurimum jure tribuo, auctoritas & voluntas. Quia enim, uti Doctori DONELLO supremum hoc prestarem pietatis officium, vosmet ipsi me cohortati estis: meum sanè fuit nutui huic vestro, omni postposita difficultate, gnauiter satisfacere conari.

His ego adductus causis, licet minimè nescius quid sit post HOMERVM Iliada velle conscribere, & quanto cum periculo conjunctum, secundum te SCIPIO GENTILIS, Doctore clarissime, & obseruande amice, qui hoc ipso ex loco superiore anno, Tulliana eloquentia, idem felicissime argumentum pertractasti, augustum hoc ascendere suggestum: constitui, quibus exornatus mirifice D. DONELLVS fuit, virtutum chorum, ἠὲ δὲ καὶ ἐν τῷ σπουδαίῳ, cultu modico, habitu genuino producere, hoc q; ipso tam benè de plerisq; nostrum meriti honorare Viri memoriam.

Vestrum porrò erit Humanissimi Viri, & studiosissimi Juuenes: si qua minus grauiter, aut jejunius & exilius, quàm par esset, proferri à me audietis, cogitare: maximum, incomparabilem

D

ac me-

ORATIO FVNEBRIS.

ac memorabilem maximè Virum, Doctorem DONELLVM fuisse, planeq; talem, ut laudare ipsum pro dignitate satis graviter, satisque comode vix possit ullus: sed in assequendas ejus laudes, illa ipsa, qua floruit, esse Eloquentia laudatrice opus; eaq; propter infantia huic in dicendo meæ promptius aliquanto ignoscere: cum præsertim videatis, opprimi me officij onere, quàm id, quod nostræ commissum fidei est, aut ipsa sibi vendicat pietas, ob imparem huic negotio eloquij Romani acrimoniam destituere, maluisse.

Fauebitis igitur animis, dignamq; mihi pietate vestra præstabitis, qui de Doctore sum, & Antecessore quondam vestro, cujus inter vivos mortui vigebit semper grata & jucunda recordatio, HVGONE nostro, pia memoria, DONELLO dicturus, audiendi patientiam.

Is ergò Natione GALLVS fuit, ex HEDVIS oriundus, patria CABILLONENSIS. Tria potissimum Gallis Historici tribuunt: Militaris scientiam rei, Ingeniorum solertiam, & germanam ferè ingenuitatem, siue in dictis factisque constantiam. Neq; id sanè à multis, sed verissimè.

Quòd

ORATIO FVNEBRIS.

Quòd enim rei bellicæ gloria præstiterint excel-
lantie: infinita propè sunt historiarum annota-
tis consignata monumenta, ex quibus modò duo
hac maximè illustra commemorasse sufficiet.
Quantè primùm quæso fuisse molis existimandū,
quamie ingentis gloria, quòd Mauortium illum
Romuli gentibus mox imperaturum populum,
nò justa tantùm acie ad Alliam flumen, BRENNO
Duce, Galli fuderunt: verùm & ipsa capta suc-
censaue ROMA, præter exiguum ac inopem Ca-
pitolij collem, nihil omninò Romana reliquerunt
spei? Quantum dein illam Gallorum ferocissi-
mæ gentis expeditionem, qua Regionum uberta-
te allecti, tertiam Orbis terrarum, eamq; potissi-
mam partem ASIAM victricibus armis perua-
gando, tota cis TAURVM Asia stipendium exe-
gère, mereri censendum admirationis? Quin &
his nostris temporib. inermes ne quis eos dixerit:
A pueris militiæ ij artibus erudiuntur, indeque
continuo finitimis Hispanorum, ac ciuilibus in-
ter se, Romanistarum furijs latronum conflatis
indurantur bellis. Gallis prætereà nò illam deesse
virtutem, quam siue solertiam dixerimus vel

ORATIO FVNEBRIS.

*prudentiam perindè refert: Galliarum id Regni
 attestatur optimè constituti libertas, quàm con-
 tra quosuis Galli, cum primis autem Babylo-
 nicam istam Religionis velo amictam bestiam, se-
 dis tartareæ Antichristum, huiusq; complices, li-
 cet frendentes, nihilque non, uti Galliam tyr-
 nidi suæ subijciant attentantes, ea etiam propter
 igni ferroq; cuncta, ipsumque adeò terra cælum
 permiscere satagentes, tectam ac illibatam huc-
 usq; nihil omninò Germaniæ vicinæ, quæ hierar-
 chicæ isti libidini collum, ouillo luporum amictu
 decepta, submiserat jam olim, exemplo territi,
 præcipuo DEI beneficio conseruarunt: paremque
 posteris uti relinquunt, in id hodiè summo cona-
 tu, sui prodigi sanguinis, CHRISTO militantes,
 elaborant. Testatur id pariter gentis Gallicæ in
 asserenda, quæ nobiscum profiteri aduersus Syn-
 agogam Romanam ceperunt, Religionis puri-
 tate fides ac constantia. Et demùm præter alia
 multa, φρόνησις horum, & circa res honestas
 Galliæ PARLAMENTA siue iudicia cōmonstrant;
 & à Gallis Doctōribus adinuenta, veterib. ipsi-
 que adeò IRNERIO, Imperatoris qui LOTHARII
 Saxonis*

ORATIO FVNEBRIS.

*Saxonis temporibus, in lucem è tenebris Civile
 Jus reduxit, incognita tractandarum disponen-
 darumque Juris materiaram Methodus. Ad ex-
 tremum apertos, simplices & candidos esse Gal-
 lorum animos, pectorumque eos recondita in fronte
 prompta gerere: id illorum vel acerbissimi hostis
 C. Julij CÆSARIS, aliorumque Historiographorum
 testimonijs facile, nec minus hodiernis illorum,
 moribus euincitur. Quòd si autem quis Parisi-
 nam istam carnificinam, cui scelere perfidiaque
 parem non ulla vidit etas, assertis Gallorum lau-
 dibus obstare non nihil existimet: is si rerum tem-
 porumque momenta secum aliquanto diligentius
 expenderit, non difficulter Gallos ipsos crimine
 hoc liberabit. Erat quippe CAROLI IX. Regis,
 huiusque fratrum perquam lubrica tum, instarque
 cera, quò velles flexibilis etas. Horum verò ma-
 tris ac Tutricis, Medicæ istius HERODIADIS
 ad simulandum ac fallendum, Machiaueli ar-
 tibus, à teneris, quod dicitur, unguiculis, condo-
 cefactum Ingenium. Eius porro in peragendis,
 quacunque collibuisse, scelerib. administri erant
 parati Lotharingæ Tyranni Guisij. Horum im-*

pulsu, studijs, ministerio, quam Roma cum Impio
 U. in Casparem Colignium, Galliarum Amira-
 lium ceterosq³ Religionis vera Procere conflu-
 uerant quidem, sed quia vires nondum matu-
 ras habebat, Gregorij XIII. Astronomi, (heus fa-
 tale Christi Ecclesia nomen) reseruauerant pasto-
 rali cura conjugationem, in neruum tandem ea
 prorupit; & contrucidatus est per insidias, diui-
 nis humanisque Furibus, & jurata paulò antea
 pace scelestissime, sub nuptiarum Regiarum ob-
 tentu violatis, ab alienigenis, tanto Regno nefa-
 riè, nullo jure inhiantibus, precipuus Gallica No-
 bilitatis flos; cuius & in illo ipso periculorum ar-
 ticulo, tanta fuit constantia, uti à cursu solito fa-
 cilius quis Solem, quam ab agnita hos semel potu-
 isset veritate dimouere: tantum abest, ut vel le-
 uitatis, aut perfidia, ob fœdifragas factionis Gui-
 sia cum Romano Antichristo collusiones, insimu-
 lari jure possit. Verùm de his hæctenus.

Patriam Doctōris DONELLI Cabillonem
 esse diximus. Non sanè rarò diuersæ iisdem sunt
 nominibus Ciuitates insignitæ. Sic duplex in Hi-
 storia Euangelica celebratur CANA: Major illa

ORATIO FVNEBRIS.

non procul à Tyro in tribu Aser, ex qua mulier-
 cula illa Græca prodijt, cuius à Damone filiam
 obsessam CHRISTVS liberavit, & quã ob id ipsum
 Syrophœnissam MARCVS nominat: Altera in
 Galilæa Minor Cana, ubi aquam DOMINVS pu-
 ram in generosissimũ commutavit vinum. Sunt
 item in Ducatu Mediolanensi Vercella, ac Ver-
 cellæ Burgundionum: Rufacum pariter ejusdem
 Burgundia, & superioris Rufacum Alsatiæ. Con-
 simili ratione diuersa in contiguis Galliarum
 Regionibus CABILLONES celebrantur: quarum
 illa vel hoc vno, quòd recens natum DONELLVM
 nostrũ suo prima gremio excepit, nobilissima me-
 ritò censenda, in Burgundia Ducatu ad Araris
 ripas, Episcopatus metropolis Cathalanensis: ab-
 tera verò Campania oppidum, ad Matronam
 est fluvium sita.

Iam licet haud referat, quali sit quisq; parente
 Natus, dùm bonus ipse: nec tam, ex quibus
 procreatus quisq; sit, quàm ut moratus, spectan-
 dum ego censeam: Quia tamen arborum ferè na-
 turam fructus redolent: ne hac quidem felicitatis
 parte DONELLVS est noster destitutus. A no-
 bilibus

ORATIO FVNEBRIS.

bilibus enim utrinq; & Ordinis Equestris paren-
 tibus, est anno supra sesquimillesimum vigesimo
 tertio à reparata per EMANVELEM nostrum hu-
 mani generis salute prognatus. Pater præterea
 illi ὁμοῦρος Regius fuit in Ciuitate Cabillonensi,
 quam patriam Doctori nostro fuisse jam perce-
 pistis, Gubernator, domi, militiaeque clarissimus.
 JOANNES autem DONELLVS, nostri aliquot an-
 norum interuallo natus major frater, Vir unde-
 quaq; fuit doctissimus, Regisq; Galliarum apud
 Aquas Sextias, siue Augustoduni, in Prouincia
 Parlamento Consiliarius. Donellus siquidem
 pater, licet nullis subleuatus literarum admini-
 culis, excellentia saltem ingenij & obeundis ne-
 gocijs dexteritate, Regis sui FRANCISCI primi
 VALESII gratiam adeptus, ab eo Cabillonensi
 Praefectura cohonestatus esset, paremq; filio for-
 tunam consecuturam speraret: Quia tamen ob
 id ipsum, quòd literas nesciret, maximè necessa-
 rio praesidio se, simul & ornamento destitutum
 experiebatur: idcirco ne simile quid, quos ipso se
 chariores habebat, filijs quandoq; suis eueniret,
 id verò unicè singularique cura sibi videbat præ-
 cauere.

ORATIO FVNEBRIS.

cavendum. Ideoq; cum tantam in utroq; indolis, animique præstantiam animaduerteret: inaudisset etiam non verè minus quàm graviter Horatium, quòd vim doctrina promoueat insitam, cecinisse: artibus eos liberalioribus imbui, & Politices imprimis studia, ad capessendã aliquando Reipublicæ partem, via regia ferentia, edoceri accuratissimè voluit. Ac JOANNEM quidem, filium ad exoptatam peruenisse frugem, voti compos sui, optimus senex viuis aspexit: simul etiam spem concepit propè certam, uti DONELLVLVS filius, majore non minor fratre, in majorè etiam esset aliquando Virum euasurus: non tàm ob id quòd à plerisq; filioli sui præcellentissimum, siquæ intenderetur, ad omnia summa natũ Ingenium prædicari passim videbat, in tantam de filij profectu fiduciam adductus, quàm forte fortuna casuue, qui suorum amantissimum senem variè primùm discruciauit; gemina verò postmodum recreauit paternum animũ latitia. Cujus enim filium fidei crediderat parens, is ex eorum erat numero, qui timeri quàm obseruari, dominique, quàm doctores à discipulis vocari malunt: mo-

E

disq;

ORATIO FVNEBRIS.

disq̄ adeò indignis pedagoga sua permissum a-
 dolescentulum indies fatigabat, ut is in despera-
 tionem ætatis imbecillitate actus, ultimū dicere
 studijs VALE omninò constitueret; eaq̄ propter,
 uti bona illius pace, vel arcanis Mercurij sacris
 addici, aut Martis, quæ ipsum nobilitassent, sequi
 castra liceret, precibus semel atq̄ iterum repeti-
 tis, patrem fatigare non desisteret. Sed quid fit?
 Ab hoc is proposito fero, ubi non prece nec precio,
 non gratia vel minis, uti resiliiret, adduci un-
 quàm posse videretur: una tandem hac, sed ter-
 ribili maximè ad humanitatē conformata men-
 ti voce, commotus pater: SUBVLGITANDVM ergò
 TIBI, occurrit: una etiam hac, uti non solum in
 parentis futurum se deinceps potestate, sed & ad
 summā reliqui nihil diligentiam facturum, sub-
 irato patri piè filius sponderet, effectum.

Restitutus ità literis DONELLVS, Doctoriq̄
 suo, quem deinceps placatiorem habuit & fide-
 lem magis, reconciliatus: secum ipse quam potif-
 simū ad facultatem sese conferret, cepit delibe-
 rare. Et ad THEOLOGIAM quidem, pontificijs
 innutritus pietatem præ se quandam ferentibus
 cere-

ORATIO FVNEBRIS.

ceremonijs, naturâ propendebat: verùm inde
 motis jam tùm de Religione, vicinis Gallia Regi-
 onibus, controuersis absterrebat. **MEDI-**
CINÆ autē studium, licet naturalem quandam
 uehat secum oblectationem, non tamen magno-
 perè id in Gallia temporis frequentabatur. Vna
 itaq; **IURISPRVDENTIA**, illa unice vera nec si-
 mulata *Philosophia* (ὅ γὰρ ἀπὸ τῆς τέλεος ἔ γινώσκεις, ἀλλὰ
 πρῶτον) affectanda restabat. Illius ergò abdita &
 penetralia de Doctoris sui voluntate; simul etiã,
 uti parentis Iudicio, qui πολὺν χρόνον eum artibus e-
 rudiri, & in talem olim virum, cui tutò Respu-
 blica in parte quadam ejus gubernanda, concre-
 di posset, euadere præoptabat, aliqua saltèm tenuis
 satisfaceret; quantum conniti animo posset, la-
 bore quantum contendere, dies noctesque nixu
 summo, persequenda sibi tandem prudentissimè
 constituit. Ideoq; cum haud nescius esset, illam
 disciplina gubernatricem *Philosophiam*, **ETHI-**
CEN, boni ac æqui artis materiam veluti præja-
 centem esse: *Historiarũ* item cognitionem, quib.
 diuersa multarum gentium *Leges*, diuersaq; *Re-*
gnorum ac Rerum publicarũ forma continentur,

ORATIO FUNEBRIS.

futuro Jurisconsulto non minus dici necessariam
 sciret: ad neutram autem harum absque graca-
 rum literarum notitia feliciter aspirari posse: id
 studio ac industria D. DONELLVS nunquamq;
 defessa assiduitate, ut intra vertentis anni ter-
 minum, lingua Graeca intelligentiam sufficien-
 tem adeptus, concitatissimo cursu ad diuinarum
 & humanarum rerum scientia limen felicissime
 perueniret, est consecutus. Tum vero haud in-
 sciens, absq; laboribus summis, studio indefesso, vi-
 gilijs saepius repetitis, solidam plenamue Juris co-
 gnitionem comparari non posse: nullum non mo-
 uendum sibi lapidem, uti quam celerrime ad Ju-
 ris prudentia loco excelsissimo positam arcem
 conscendere liceret, putauit. Subsecutus est ergo
 tantam industriam euentus exoptatus. Aetatis
 anno decimo septimo NERVA filius publicè re-
 sponsitasse de Jure dicitur. Noster autem DO-
 NELLVS, vigesimo tertio nondum exacto Doctu-
 ra est cingulo & insignibus à Clarissimo J. C.
 FRANCISCO DVARENO, altero illo Juris condi-
 tore, publicè AVARICI Biturigum, & verissimis
 simul laudibus exornatus: moxq; anno eodem,

MICHA-

ORATIO FVNEBRIS.

MICHAELE potissimum HOSPITALIO, Regia sororis MARGARITHÆ, Bituricēsis Principis Cancellario, qui minimè plebeium Doctorem hunc futurum jam tùm prudenter animaduvertebat, annitente: in Magnificum ibidem ANTECESSORVM COLLEGIVM allectus. Laborum socios & *συμβιωτάς* habuit clarissima illa Juris Civilis lumina: ipsum primò DVARENVM, huicq; LL. peritia parem, Eguinarum BARONEM: tùm & Antonium CONTIVM; CONANVM item, & Franciscos BALDVINVM ac HOTTOMANNVM; Jacobum praterèa CVIACIVM, & complures alios nō infimi nominis JureConsultos. Sed à DVARENO cum primis ob excellentissimum, quod jam tùm, vires exerere suas incipiebat, ingenium ad amabatur; quem ille vicissim ac parentem filius, unicè suspiciebat. Et jam tùm spe ominabantur plerique, quòd si vllum alium, DONELLVM hunc nostrum;

Ingenium cūi tùm, cūi mens diuinior, ac os

Magna sonaturum; *quique maximus ἀπὸ θεῶ* *ἔσσει, καὶ ἀπὸ ἐπισήμων,* Doctori DVARENO, si quando is summi jussu Imperatoris, vitæ statione decederet,

ORATIO FVNEBRIS.

deret, succenturiari meritissimò posse. Nec defuit omni euentus. Quantũ enim docendo profecerit DONELLVS, Jureq; Ciuili prastiterit expoliendo; mei sanè, qui primis tantum labris disciplinam hanc degustavi, non est iudicij, & à te SCIPIO GENTILIS, quem iterum honorificè compello, illius sunt hac in parte merita luculenter antehac demonstrata. Hoc tamen ausim affirmare, Legum omnium vim ac potestatem optimè DONELLVM tenuisse; earum nodos ac enigmata commodè, acutè, prudenter ac eruditè dissoluisse; nepotib. profuturas arbores conseruisse; Breuibus, ad seram quæ posteritatè pertineant, non viuum modò Auditoribus proposuisse, sed & eadem iisdem reliquisse, viui spirantia ingenium ac imaginem, mortuum. Sed quid dico mortuum? Non omnis mortuus, sed potior illius pars his aromatatum condimentis tristem istam vitauit Libitinam; & viuit in gratis Auditorum, adeoque vestris, sacratissimarum LL. Studiosi, pectoribus etiamnum, viuetque, quoad Juris prudentia viuet, vigebitq; studium.

Biturigibus autè Furi enucleando prefectus,
omni-

ORATIO FVNEBRIS.

omnium in se docendi facilitate, quaque pollebat,
 styli puritate, elegantia, simplicitate, animos o-
 raq; in tantum conuertit, ut sicuti lumine SOL
 alias vincit stellas, non secus à DVARENO DO-
 NELLVS, Eguinario praesertim BARONE mortuo,
 symmystas longè vinceret suos; totaq; Gallia fie-
 rent ad eum quotidie, sed & è reliquis Nationi-
 bus, concursus maximi. Et hac quidem in acie
 stetit expeditus aliquot annis, donec contra Re-
 formatæ, quam vocant, Religionis assertores,
 Pontificiorum Auarici, Biturigum metropoli,
 opes inualuerunt. Tum etenim, cum passim
 rectè sentientibus, vitæ ac bonorum pericula cre-
 ari, eaq; indies adaugeri, DONELLVS perspice-
 ret: relictæ, quam copiosissima librorum supelle-
 ctile instructissimam habebat, bibliotheca: re-
 lictis cæteris non minimi precij bonis: SACROCÆ-
 SAREVM inde, quod & ipsum agri Bituricensis
 oppidum est, abiit, ibidemq; aliquandiu est com-
 moratus. Accidit autem subsequenti tempore,
 ut illi ipsi Ciues, quorum Inquilinus noster erat,
 Comite Martinengo Italo, rei militaris peritissi-
 mo, duce, arctissima cingerentur obsidione: illiq;
 ex vi-

ORATIO FVNEBRIS.

ex vicina Prouincia & Delphinatu ad quatuor
 Equitum, peditumq; millia, Regis jussu, mitteren-
 tur auxilio. Vnde factum, uti Cines, licet ab
 initio spei pleni defensionem sui suscepissent impi-
 grè: tandem tamen belli malis, fameque domiti,
 desperatis etiam fœderatorum subsidijs, de sui de-
 liberarent deditione; & dedidissent sese utique,
 ni D. DONELLVS obuiorum Oppidanorum, in-
 primis autem præsidij Capitaneorum oratione
 constanti obfirmasset animos: Fouere scilicet
 ipsos piam bonamq; causam, cui defuturum Nu-
 men diuinum minimè sit: quò ergo conuenire,
 quòd locum, tempus, occasionem DEO liberatio-
 nis præscribere velint? Refugiant potius ad pre-
 ces, certissimum Christiani populi telum, & di-
 uini spem auxiliij patientia fortiter sustentent.
 Visuros eos propediem, quàm mirabiliter DO-
 MINVS in salutem propriam suos ducat sanctos:
 breuique dubio procul DEO habituros, sibi verò
 acturos gratias. Constitit dictis fides. Neq; n.
 longè res prolatata est, cum SANCERRVM obsidio-
 ne præsidio missus miles exemit: hostesq; adeò tre-
 pida fuga sibi consulere coacti, uti nocte intem-
 pesta,

ORATIO FVNEBRIS.

pesta, Februario Mense anni sexagesimi noni,
 relictis omnibus rebus suis, silentio discedere ten-
 tauerint, sed frustra. Eos enim, re cognita, cum
 praesidiarijs Ciues ab Vrbe procurrentes, sunt cõ-
 sectati, multosq; ex ijs palantes occiderunt. Gra-
 tia inde DEO acta, Et ob fortitudinem hanc to-
 gatam DONELLVS, piãmq; $\omega\lambda\eta\rho\phi\omicron\epsilon\iota\alpha\mu$ meritis
 concelebratus laudibus. Subsecuta est tempesta-
 tem hanc, opera maximè ac insigni Virtute Illu-
 stris. Principis ac D. D. JOANNIS CASIMIRI,
 Comitis Palatini ad Rhenum, quem sinistro Rei-
 publicæ GERMANICÆ fato Trium nuper Regum
 festo amissimus fortissimum Heroem, per uniuersam
 Galliam summa serenitas Et ab armis quies,
 videbanturq; conssepulta penitus Ciuilia Gallo-
 rum bella. Effloruerunt etiam passim in Acade-
 mijs literarum studia, Et redierat Auaricum
 vocatus denuò DONELLVS, statu latus presenti,
 Et de futuro spem concipiens optimam. Sed ò fal-
 laces hominum spes: ò Antichristi, nil nisi piorũ
 sanguinem flammamq; anhelantem perfidiam:
 ò non unquam, ne apud barbarissimos quidem
 barbaros auditam Romanistarum impietatem!

ORATIO FVNEBRIS.

Vix triennium erat à jurata utrinq̃ solenniter
 pace finitum, cum in altissima pace Lutetia Parisi-
 siorum, indeq̃ per uniuersum Galliarũ Regnum,
 ipso D. BARTHOLOMÆI festo die, anno ab hinc
 vigesimo, tanta piorum edita strages est, tanta
 commissa pariter in DEVM, hominesq̃ scelera,
 ut verbis assequi ea me posse, desperem: utq̃ ma-
 ximè possem, satius tamen ducam eorum in præ-
 sentia (cum præsertim cuncta ea, uti acta sunt,
 jam olim doctissimorum quorumq̃, qui periculis
 ipsi partim interfuerunt, à fide partim dignis
 gestarum ordinem rerum acceperunt, in sempi-
 ternũ Synagoga Cainica opprobrium, consigna-
 ta sint monumentis) longiorem transmittere
 commemorationem. Incipit jam jam diuina Ne-
 mesis effusum à Parisiorũ lanistis, in Christi glo-
 riam Christianorum sanguinem ulcisci; & sub
 extremi aliquando Judicij diem, isti Ecclesie
 à Reges condignam referent meritorũ gratiam.
 Interim IN SPE ac SILENTIO piorum consistit
 FORTITVDO.

Turbatis ad hunc modum tot à Galliã rebus,
 in maximo simul vitæ fortunarumq̃ periculo ij
 fuerunt

ORATIO FVNEBRIS.

fuerunt Exteri, qui à superstitiosis Pontificiorum
 cultibus auersi, per q̄ totum Regnum dispersi, vel
 humanioribus dederunt literis & grauioribus
 disciplinis operam, aut honesta negociatione rem
 studuerunt adaugere suam. Ad consuetum igitur
 docendi munus Auaricum reuocatus DON-
 NELLVS, nominis fama sui plurimos eò secum
 traxerat, & augebatur discipulorum numerus
 indies, quos inter è primaria Germanicæ nostræ
 Nationis Nobilitate erant complures. Obtento
 hi Regio Saluo conductu, ut scilicet tuto Gallia-
 rum excedere finibus liceret: tanto moti periculo
 Viri, Doctoris sui benemeriti; quò imminente
 eum calamitati, quæ præter alios plurimos jam
 & PETRVM RAMVM, Philosophum ac Ora-
 torem Regium pessundederat, unà secum eripe-
 rent: vasrum quidem & ingeniosum, sed pium,
 ac memorabile capiunt, nulla prorsus, si detege-
 retur, salutis propriae habita ratione, consilium.
 Veste DONELLVM germanica indutum, inque
 medium sui, veluti unum ex suis receptum, Bi-
 turrigum ciuitate egredientes, LVGDVNVM, ac
 indè GENEVAM, quod HELVETIIS est confæde-

ORATIO FVNEBRIS.

ratum oppidum, incolumem ac saluum, Dei beneficio, sicariorum ab illo, ne agnoscerent, oculos auertentis, latissimū ouantes ac lati perducunt. Ibi verò per aliquot menses, legitimam operarum suarum vocationem præstolatus, & animi corporisque viribus ex tanto pauore reficiendis intentus, donec sub ejusdem finem anni, à Serenissimo Principe D. FRIDERICO ejus nominis II. Electore Palatino, in celeberrimam Heydelbergensem Academiam euocaretur, substitit.

Est inter ceteras Germania Principum familias (libet Viri Nobilissimi, studiosissimiq; Juuenes, aliquantulum in amœnissimos Historiarum campos expatiari) Est inquam PALATINA DOMVS, omnium semper nobilissima pariter & laudatissima habita. A CAROLO siquidem MAGNO, qui primus Imperij Romani ^{æliæque} Germania intulit, Palatini descenderunt: & fuit eorum gubernatio ferè mitissima, prorsusq; ^{antiquat}, Patriæ Nationis Germanicæ primùm; suarum dein Prouinciarum consecrata saluti. Quemadmodum autem Ecclesiæ Christi Catholica, GREGORIORVM, Quinti excepto, nomen, inde

ORATIO FVNEBRIS.

inde à primo, quem ob superstitionum & impio-
 rum dogmatum architecturam, Magnum Pon-
 tificiorum Historiographi proclamant, fatale
 semper fuit & ominosum: Ita & ipsi PALATINÆ
 ditioni FRIDERICORVM pietas ac beneficentia
 noua subindè felicitatis emolumenta contulit.
 FRIDERICVS siquidem I., cognomine VICTO-
 RIOSVS, Philippi ex fratre Ludouico Electore
 prædefuncto Nepotis ditionum Administrator,
 ipsis Julij Calendis ante annos centum triginta
 unum, tres simul Principes, qui contra liberta-
 tem Imperij, Pontificum Tyrannidem armis im-
 pijs propugnabant, una cepit acie viuos: Vdal-
 ricum VVirtembergicum, Badensem Carolum,
 hujusque fratrem Joannem Episcopum Meten-
 sem: quos tamen breui post ira moderatus laude-
 que contentus tanta victoria, sub honestis condi-
 tionibus incolumes dimisit omnes. Hoc tum bello
 Electoratus quatuor in longitudinē miliarium,
 à sede Moguntina, cujus dignitatē ac fura con-
 tra perfidas AENEÆ Syluij Pontificis Romani
 molitiones, suis defenderat sumptib., eo remune-
 ratus à Ludouico, Imperium acquisiuit & puenit.

ORATIO FVNEBRIS

*Jam FRIDERICVS II. is, qui Hispaniarum Regis
 CAROLI in Romanorum Imperatorem Electio-
 nem, Septemuirorum Legatus, eidem renuncia-
 uit, ut nominis sui memor diuinam suis populis
 conscientiarum pacem conciliaret, recteque illo-
 rum saluti prospiceret, Paulum FAGIVM exper-
 ta Theologum integritatis, Argentorato, Sena-
 tus permissu, Heydelbergam, ut ejus praeipue in
 constituendis ad normam primitiuarum ditionum,
 suarum Ecclesiis uteretur, euocauit. Sed ob Ca-
 roli V., Germaniam qui Germanorum viribus,
 arte Hispana, oppugnaret, victoriam, in nihilis
 conatus is tum recidit, & decennio post OTHO
 demum HENRICVS successor, DEO ceptis fauen-
 te, in effectum, quod pius in votis praedecessor ha-
 buerat, deduxit; Cujus pietatis non minus, quam
 dignitatis haeres FRIDERICVS III. hujus nomi-
 nis II. Elector, laudatissimus Princeps: quo
 suum erga Religionem veram Zelum, non titulo-
 tenus aut inanibus verbis, sed rebus ipsis & ma-
 gnificis factis, toti mundo testaretur; laboranti-
 bus in Gallia & Belgio piorum partibus, inua-
 lescente contra Pontificiorum administrorum
 tyrann-*

ORATIO FVNEBRIS.

tyrannide; principijs obstandum ratus: illis quidem JOANNEM CASIMIRVM filium Ducem, validissimo instructū Equitatu: his verò filium CHRISTOPHORVM Palatinum, non minoribus armatum copijs, subsidio misit. Et in Gallijs quidem fortibus fidelibusq; conatib. diuina suffragata est bonitas, & constituta ibidem Casimiri cum primis auctoritate pax, summaq; Regno restituta tranquillitas: Apud Belgas autem, ob ipsorum inter se diffidentiam, frugiferi nihil effici potuit, & insperatam, DEO ita permittente, animi pientissimi mercedem senex optimus, minore orbatus filio, verum animo CONSTANTI mixtas gaudio lachrymas DOMINO, uti par erat, acceptas, illius se piè voluntati submittens, retulit. Largiatur idem DEVS, Ordinis author & protector politici, uti hujus è LVDOVICO filio Nepotis, Serenissimi Principis D. FRIDERICI III. Electoris, qui Februario nuper mense, CHRISTO auspice, fidei suæ concreditorum populorū regimen suscepit, gubernatio, in Ecclesia amplificationem, Imperij gloriam, subditorum verò salutem sempiternam cedat, AMEN.

Et hæc

ORATIO FVNEBRIS.

Et hæc quidem de tantis Principibus hoc loco
 monuisse sufficiat. Reuertatur jam, unde di-
 gressa erat, nostra Oratio: D. DONELLVS vo-
 cationi Palatina insistens, Heydelbergensi in A-
 cademia primariam Juris professionem annos
 integros sex cum dimidio tenuit. Quibus elapsis,
 occultum quoddam suum secutus consilium: for-
 tassis etiam HEROIS fortissimi D. GVILIELMI
 Aurantia Principis, acerrimique Religionis no-
 stræ Vindicis impulsu, missione apud LVDOVICVM
 Electorem impetrata, in HOLLANDIAM inde,
 cujus eum ORDINES ad constituendam, vel ex-
 ornandam potius sua presentia nuper institutâ
 Academiam LEIDENSEM conduxerant, abiit.
 Ibi verò partitis cum IVSTO LIPSIO, Viro un-
 dequaq; doctissimo, laboribus, frequentissimum,
 uterque habuit Auditorium: Et confluerunt è
 vicinis Regionibus, ad tanti nominis Doctorum
 famam, singulis propè diebus, apum instar, ma-
 xima studiosæ Iuuentutis examina. Docuit in
 Vrbe illa LVGDVNENSI D. DONELLVS annos
 septem, menses octo: Et remansisset forsitan
 ibidem diutius ob linguæ commercium familia-
 rius,

ORATIO FVNEBRIS.

ruius, ni quorundam malevolentia & liuore ve-
 ris ipsius & meritissimis laudibus inuidentium,
 ipse simulandi nescius, consilium sibi in arena ut
 caperet, fuisse compulsus. Cùm itaq; meminif-
 set, jam olim Amplissimum nostrum SENATVM
 ipsius presentiam expetuisse: intelligeret etiam
 nostris in Ecclesiis, diuina benignitate, puram &
 incorruptam VERBI DIVINI vocem sonare, eas-
 demq; permultis alijs hac felicitatis parte pluri-
 mùm prestare: adduci se facile passus est, uti, li-
 beralissimo proposito stipendio, nostra potissimum
 Reipublica, huicq; Academia, operas condiceret
 suas; quas & utriq; dum vixit, fidelissimè pra-
 stitit, sique longior vita & sura concessa illi fuisset,
 eam dubio pcul omnem vestris impendisset, Stu-
 diosi fuenes, voce scriptisque, commodis & uti-
 litati.

Sed inuiderunt nobis fata, vel ipse potius
 DEVS ingrato huic seculo subiratus, tantum no-
 stro cõspectui virum, prater expectationem om-
 nem nostram omnium citius spectantum inquam
 Virum, quem florentissimis quibusdam virtu-
 tibus prater communem mortalium conditionẽ

G

excellu-

ORATIO FVNEBRIS.

excelluisse, plerique probè meministis, subtraxit. Deijs ergò nunc in gratam ejus memoriam, nostriq; adificationem, quàm poterimus breuissimis quædam subijcientes, thesaurum vobis, Adolescentes optimi, rerum pulcherrimarum & amabilem maximè, proponemus spectandum.

Et quia PIETAS reliquarum omnium veluti Basis est ac fundamentum, & moderatrix virtutum: quodnam ea in castissimo DONELLI pectore domicilium obtinuerit, primùm considerabimus.

Fuit is, ut pleriq; tum per Galliam pueri, in ea quàm falsò Catholicam denominant & Apostolicam (Cacolycorum rectius dixissent Apostaticam) Ecclesia Romana educatus, ac superstiosis illius ceremonijs addictus tantisper, donec sub duodecimum ætatis annum, sororis occasione (ita DEO visum) pijsimæ Virginis, è Cimmerijs istis tenebris ad veram cõverteretur Religionem. Oblectabat illa se quibusdam in linguã patriam translatis ERASMI, aliorumq; de Religione conscriptis libellis: quos dein, cujus erat amantiissima, fratri natu se minori, clàm patre, suppedi-

tans;

GRATIO FVNEBRIS.

rans; igniculos simul pietatis vera illius animo
 subdebat. Duab. tamen in primis ROTERODAMI
 lucubrationibus, Viri Clarissimi, calcar sibi ad-
 ditum, ex ipso DONELLO bis terue audiui: Illa
 primum, qua Militem Christianum ERASMVS
 ingeniose descripsit: ea deinde, qua Colloquiorum
 titulo insignis, sacrificulis, monachis & consimi-
 lis farina Theatri Romani scurris consumitur
 & mimis exagitandis. Porrò cum atate pariter
 & iudicio confirmatior indies fieret: nostrorum
 cepit Theologorum legere scripta, eandemq; no-
 biscum apertè Religionem profiteri: in precib. e-
 rat assiduus; psalmos lubentissimè canebat, hym-
 nos & ^{ὕμνους} ^{καὶ} ^{ὕμνους}, non Pindaricas illas, sed merè ^{πυθια-}
^{λικὰς}, ex CHRISTI promanantes Schola, sanctiq;
 officina Spiritus. Jam quia linguam nostram
 Germanicam minus intelligebat: Saturni sem-
 per diebus, modò inualetudine non impediretur,
 D. Pastorem M. GEORGIVM SIGELIVM Theo-
 logum exercitatissimum, Euangelium Domini-
 cale ^{μεθ' ὅσων ἀναλυτικῶν} explicantem sedulus audiebat,
 suoq; conabatur exemplo fuentutem ad amorē
 & venerationē Sacri condocesacere ministerij.

ORATIO FVNEBRIS.

Quòd si etiam aliquantulum solito esset remissi-
or, nihilo tamen secius ipsius erat sermo pia sua-
uitate non minus, quàm hilaritate conditus a-
mabili. Breuiter; quo te cunq̄ue, apud ipsum,
si esses, verteres, illustria maximè licebat & ex-
pressa notare semper vera, nec simulata aut hy-
pocritica pietatis vestigia. Haud igitur miran-
dum, vitæ si laudabiliter ceptam πρότασις, laudabi-
lius etiam transactam ἐπίτασις, κατὰ σοφίαν est latissi-
ma, uti sub finem deinceps audietis fusius, subse-
cuta.

Nunc quia CHRISTO ipso teste, ὡς αὐτὸς ὁμοῦ ἀγα-
θῶν, καὶ ἀδὲς ποιεῖ καὶ πρὸς: ordine jam, quosnam Pietati-
tis hac, veraq̄ Fidei Arbor, fructus protulerit, di-
spiciemus. Et primùm quidem flagrantissimam
arsisse in castissimis DONELLI nostri precordijs,
à Sancto accensam Spiritu, DEI DILECTIONEM:
ecquis, cui vel per paucis cognitus is dieb. fuisset,
dubitare posset? Meminerat se immensa DEI
misericordia, ancillante voluntati diuinæ sorore
pijsima, ex impia Romani Antichristi Synago-
ga, in viuificū Domini & Redemptoris nostrum
omnium CHRISTI IESV Regnum traductum.

Gratè

ORATIO FVNEBRIS.

Gratè igitur tantum DEI beneficium, adaman-
 tis illum in adamato, recognoscebat: vicissimque
 DEVM, quantumuis impari, pio tamen fidelique
 amore prosequabatur. Hinc etiam DOMINI TI-
 MOREM, vera initium, medium ac finem Sapien-
 tia, quo justificari corda sciebat pralucente Fide,
 ardentissima voluntatis cum corde consensione
 ac motu custodire, assiduarum precum muro cir-
 cumseptus, nitebatur. Sed & cum minimè ne-
 sciret, fidelibus DEI seruis non ullam unquam,
 defuturum bonum: se contra ob veri confessionē
 patria indignè pulsum, vita non semel discrimen
 adijisse: cum sancto ABRAHAMO Patriarcha con-
 tra spem in spem; se nimirum à DOMINO con-
 fortatum iri, & respecturum se quoque DEVM, in
 illum sperantem, hujusque terrena jacturam sem-
 piterna per & propter CHRISTVM credentibus
 promissa patriæ possessione, immenso illo gloria
 pondere compensaturum, oraculis acquiescens
 diuinis, firmissimè SPERAVIT. HVMIABIAT
 ergò se sub potentissima DEI manu: utque confor-
 mis Domini sui fieret Imaginis; simul etiam ali-
 quando in justorum resurrectione aeterna cum eo

ORATIO FVNEBRIS.

gloria ornaretur ac majestate, appositas sibi di-
 vinitus calamitates, FORTI perferebat, PATI-
 ENTE, PERSEVERANTIq³ animo, Sancti nimirum
 adjutus, fidelissimi piorū Aduocati, Spiritus ope,
 quam $\text{\textcircled{S}}$ GRATE agnoscebat, nominiq³ ac boni-
 tati diuina, cuncta referebat bona malaue acce-
 pta. Præterea cum non verè minus quàm piè in
 quadam Basilij Magni scriptum epistola legisset:
 τὸ τῆς ὁμοειδούς ἀσκητικῆς τῶν ἡμῶν ψυχῆς θεοῖς τρέφειν ὁμοιωμασι
 in utriusq³ lectione Fœderis assiduus, huic pro-
 batorum adhibebat Theologorum scripta: utque
 suo alijs præluceret pietatis exemplo, D. ferè Pa-
 storis Euangeliorum intererat Dominicalium
 explicationi: idem haud dubiè factururus in publi-
 co, nostra si lingua usum calluisset Germanica.
 Ostensum est jam superius, parenti quam præsti-
 terit obedientiam. Id jam nos testari verè possu-
 mus, quotiescunq³ Galliarum Regni ac Regum,
 supremi ejus Magistratus, inciderit mentio;
 semper illum singularis cujusdam honoris præsa-
 tionem apposuisse, cunctaq³ illa, quæ perperam
 hætenus $\text{\textcircled{S}}$ impiè ijs in Regionibus gesta essent,
 imbecilla partim FRANCISCI II. CAROLIq³ IX.
 Regum

ORATIO FVNEBRIS.

Regum aetati ac iudicio, maiorem verò illorū partem matris Regia Tyrannidi asscripsisse semper, Catharina istius Medicae, (quam utinam Florentini a neo inclusam tormento, Clementis VII. patriam oppugnantis, vlnis & amplexibus emisissent obuiam: tantum malorum, illa auētrice, nunquā Gallia pertulisset) huiusq; complicibus Lotharingia Tyrannis Guisus. Senatui porrò nostrò, DD. q; Scholarhis, Collegis item suis, & uniuersim singulis, quos eo dignos iudicabat honore, quantum detulerit; omnibus id nobis ita est, ut quod maximè, manifestum. Erat praeter hac mansuetus, vindicta non cupidus, piorum mirificè afficiebatur infortunijs, fortuna scilicet domestica edoctus alijs condolere. Jam *ΟΛΗΘΟΥΧΙΑΣ* siue Concordia quā fuerit studiosus, cum aliās sepius, tum vel ijs temporibus, quando LEIDAE primū maleuolorum impetui cedere, quā ACADEMIAE LVGDVNENSIS turbare tranquillitatem, maluit: cumq; non ita pridem illi ipsi, cuius tamen hoc esse sciebat axioma perpetuum:

αἰεὶ ἐν αἰσένειν καὶ ἑστέροισιν ἕμμοναι ἄλλω,

ut una cum illo mente, uno animo viuere posset,
 & stu-

ORATIO FVNEBRIS.

Et studiorum vestrorum navis, Adolescentes no-
 bilissimi, aura tanto leniore veheretur, plurima
 indulfit, satis superq̄ testificatus est. Τα μέγιστα γὰρ
 καὶ ἐν ἄλλοις, ἢ ἐν Οὐρανίαις καὶ θισταῖς, re ipsa vir pru-
 dentissimus aspiciens, uno tueri tenore concor-
 diam studebat. Amicitias porro cum iudicio
 quidē admittebat, sed retinebat constantissimè.
 Mecum quidem quā constituit amicitiam, egoq̄
 aduersus illum obseruantiam; fideliter vterque
 coluimus, testemq̄ habeo illius in me beneuolen-
 tissimæ voluntatis ipsius manu scriptam, Et inter
 res mihi chariores sepositam epistolam. Jam de
 Candore illius quid dicemus? qua is Virtute ita
 excelluit, ut vel manifestè calumniandi animo
 prolata, eoq̄ ab alijs injuriarū minus ferentibus
 accepta, in meliorem ferè partem ipse interpreta-
 retur. Vnde factum aliquando, ut ab amico quo-
 dam Euripideum id: σωφρονὶ ὀπίσθια ἐν αἴνῳ ἔδωκε βρο-
 τοῖς χρησιμώτερον, ei sit objectum. Quàm autem fuerit
 humanus, quæ Græcis ἠδὸς virtus dicitur, comis
 item Et affabilis; nihil attinet dicere: Et pleriq̄
 nouimus omnes, fuisse ipsum humanissimum;
 quin humanitatem ipsam, ita tamen, uti gravi-
 tatis

ORATIO FVNEBRIS.

tatis & constantia non obliuisceretur unquam.
 Ingenia siquidem leuia, stolidè ambiciosa, tempo-
 raria, vel ad assentationem erudita nimiam a-
 uersatus, & Homericum illud assiduè ingemi-
 nans: *κακὸν ἀνεμώλια βόζην*, tantum non execraba-
 tur. Erat & benignus ac munificus, ope operaq;
 quoslibet ἐκ τῶν παρχόντων αὐτῷ demereri, lumineq;
 de suo alteri lumen accendere paratus. Verita-
 tem doctrinae caelestis, dictorū item & factorum,
 studio summo; mendaces cum mendacijs detesta-
 tus, sectabatur. Baldi cum primis illo aureo de-
 lectabatur dicto: *Jurisconsultum utroq; instru-
 etum esse sale, Scientia ac Conscientia nimirum
 debere, ne vel insipidus omnino sit, aut prorsus
 euadat diabolicus. De varia tandem ipsius Elo-
 quentiq; eruditione an quid dicam? Satius exi-
 stimo nihil, quàm pauca dici. Monumenta quae re-
 liquit, per ora volitant Virūm, & DONELLI
 consecrant immortalitati nomen.*

His ergò, alijsq; quàm plurimis, quas studio
 breuitatis relinquimus, prater ceteros adorna-
 tus eximiè Virtutibus, quem sermone ferimus
 nostro, Doctōr DONELLVS fuit; & eluxerunt

H

e in

ORATIO FVNEBRIS.

ea in omni ejus vita adeò, ut mirabilem ipsius
 apud pios omnes bonos & doctos Viros amorem
 viui, & demortui tristiſſimum excitauerint, ex-
 citentue desiderium. Praclarè lib. 13. de Ci-
 uitate DEI D. Augustinus: Qui peccatum se
 habere negat: non equidem hoc, peccatum uti nõ
 habeat, sed delictorum veniam ne consequatur,
 agit. Nemo siquidem perfectè BONVS est, nisi
 SOLVS DEVS, quiq; in communicata sibi diuini-
 tus bonitate, perſtiterunt, sancti ANGELI. Non
 igitur ἰσάγγελου aut τετραγώνου, & quendam veluti
 Semideum D. DONELLVM fuisse asseueramus:
 (ἀμαρτανὴν γὰρ ἢ σοφῶς σφώπεθ, & vixit is suis obnoxius
 affectibus) sed quia HENOCHEM amulatus, cœ-
 lestem in hac miseriarum valle degere vitam
 semper studuit: ut speculo huic animos oculosque
 affigendo, ad consimile vos, Adolescentes, Pieta-
 tis ac Virtutis studiũ accenderem: idcirco pau-
 ca hac ex multis selecta referre volui.

Alterius namq;

Altera poscit opem res & conjurat amice.

Talem proh dolor, tantumq; Virum, cui parem
 nostra hac vix habet atas, Amplissimi & Cla-
 rissimi

ORATIO FVNEBRIS.

riſſimi Viri, ſtudioſiq; Juenes, anno ſuperiore,
 hac ipſa, quarta videlicet menſis hujus die, circa
 duodecimam meridianam, vetere hamorrhoi-
 dum morbo, cui levis acceſſit febricula, & circa
 aures obortum, totamq; ferè faciei partem dex-
 tram occupans apoſtoma, extinctum, tempore
 hujus Academia alieniſſimo, ætatis ipſius anno
 ſexageſimo octavo amiſimus. Deceſſit in vera
 Filij DEI D. N. J. C. inuocatione, animamq;
 ſuam oratione præcluſa, gemitibus piſſimis Cre-
 atori commendauit, Redemptori ac Sanctifica-
 tori DEO, quo cum illa nunc æuam agit beatum:

Deceſſit inquam,

Is, qui dignus erat coruos ſuperare ſenectæ,
 Viuacis cerui vel longam viuere vitam; Et quem

PRÆFECTVS deſtet; luget BVSEREVTVS, amici.

Suſpirant alij: diſcipuli lachrymant.

Ἔτος αἰ τῆ γῆ γρηχός καὶ ἔρανοντήτωρ,

Semper honoratus terræ, cæloq; potitus.

Fecerunt plurimorum ſtudia hac prematura
 Doctõris ſui abitione jaçturam tantam, vt niſi
 DEVS, per vos, Scholarcha prudentiſſimi, de Suc-
 ceſſore idoneo ſubſtituendo breui provideat, de-
 curſo præſertim integri anni ſpacio, actum de ſe

ORATIO FVNEBRIS.

mæstissima disciplina Legalis cohors, amarissimis contestetur lachrymis. Sed quia Deo ita visum est & collibitum, senibusq; alioquin secundum naturam emoriendum tandem sit: voluntati nos diuina conformare decet, ipsiq; DONELLO, quod ^{ὁδοποιός} cuiusmodi præoptauit sapius, consecutus, integris planè uniuersis ac immotis animi sensibus, obitu perquam tranquillo, hinc, ad meliorē est & sempiternā cum CHRISTO sanctisue uiuendam vitam euocatus, gratulari.

Hem DONELLE clarissime, siccine tu patriam repetens, tristi nos Orbe, tua reliquisti destitutos ope Orphanos? Itāne à nobis rediturus non unquam abiuisti? Eheu, quantas nobis, & quā justas obtulisti tuo à nobis discessu mærendi causas! Quid ergo? Quia te charissime DONELLE, infinitis tuis adducti meritis, obseruauimus pariter quā potuimus summè, adamauimusq; plurimùm: nostram hanc (verè nostram, qui diutissimè tua nos fruituros humanitate sperabamus) iacturam, & inflicta nobis vulnera, tua qui cælo nunc resides, solabimur felicitate. Tu siquidem iustum certasti certamen; quem tibi
diuina

ORATIO FVNEBRIS.

diuina injunxerat clementia confecisti cursum
 FIDEM tu, futura spe vitæ presentis prodigus, in
 Baptismatis stipulatam mysterio, asseruasti e-
 gregiè. Coronauit ergò te DEVS, quam diligen-
 tibus se promisit, illa nunquam emarcescente,
 Et quam in cælo tibi repositam mente jam olim
 preceperas, corona Iustitiæ: Et sempiterno fruere
 nunc Majestatis diuinæ aspectu, secretamque
 pijs possides, ac CHRISTI IESU ΛΥΓΩ partam ἰλαστικῶ
 duraturæ semper vitæ Hereditatem. Eam nos
 beatissimis tuis manibus, Anima sancta, ex ani-
 mo ὀρθοῦ καρῶν gratulamur: breuiq; nos tecum sempi-
 terno TRINITATIS sacrosanctæ, ad quam modò
 supplices, pias fusuri preces sumus, dulcissimo
 confidimus perfruituros conspectu.

Nunc itaque TIBI æterne DEVS, Patri ac
 DEO Domini nostri IESU CHRISTI, quo cum in
 Sancti Spiritus unitate verus ac vnus DEVS
 regnas ac viuis, quòd in effœta hac fatiscentis
 mundi ætate, circumactaque fere, quam prede-
 finisti, annorum sex millium periodo, Reipublicæ
 NORICÆ Proceres, vti hanc fulciendæ Reli-
 gionis causa, Et propagandarum ad posteros ho-

ORATIO FVNEBRIS.

*nestissimarum disciplinarum studio, celebrem
 decernerent Academiam constituere, sancti tui
 Numinis instinctu excitasti, quas possumus, agi-
 mus gratias: (Habere siquidem condignas aut
 referre, qui possemus?) teq; ex intimis nostroru
 pectorum thalamis ac recessib. submississimè com-
 preca, muromnium fontem ac authorem bonoru,
 uti pro perpetua tua *ΚΑΛΩΣ ΕΠΙΤΟΛΑ*, Ecclesiaq; seruan-
 da tua ac conseruandarum hujus Nutricum pia-
 rum politiarum cura, SENATVM nostrum grauis-
 simum in sancto hoc proposito semper continere:
 Rem verò publicam, qua tuum, CHRISTE, nomen
 profitetur, fortunare, conatusq; in exornanda
 quotidie Academia hac sua iuuare clementer:
 Et, quemadmodum in D. ERYTHRÆI quondam
 piè defuncti locum, Doctorem Thomam FREI-
 GIVM, Et huic vicissim, in gremio qui beatus re-
 quiescit tuo, cujusq; hodiè gratè pieq; recolimus
 memoriam, HVGONEM nostrum DONELLVM
 curasti substituendum: ita Et nunc Academiam
 hanc nostram, ejus relictam euocatione Orpha-
 nam, propitiis respicere, inque illius, tanti viri,
 stationem, alium non imparem multum, qui
 sacra-*

ORATIO FVNEBRIS.

*Sacrarum Legum studiosa Juentuti, unà cum
ijs, quos elargitus interim nobis es, Viris Clarif-
simis, SCIPIONE GENTILI ac CONRADO RIT-
TERSHVIO, praire docendo utiliter possit, beni-
gnus propediem collocare: intere à verò temporis
discentiũ animos tuo Sancte SPIRITVS numine
et sancti collustrare digneris, Amen.*

*Vobis jam, Scholarcha prudentissimi, simulq;
Amplissimo Reipublicæ Ordini, meritas dicimus
publico priuatoque nomine grates, quòd Acade-
miam hanc, à primis ejusdem incunabulis, in
hunc usq; diem paterno semper animo, affectu-
ue planè materno benignissimè fouistis, sustenta-
tis, amplificabitis: quòd etiam Matronam ho-
nestissimam, VSANNAM MONDECENIAM, Hu-
gonis vestri, clarissima memoria DONELLI mæ-
stissimã viduam, peculiari vobis cura desumpsi-
stis ex tam atroci casu, marito orbatam aman-
tissimo, erigendam, solandam, liberali prosequen-
dam munificentia: quòd denique solennem hunc
actum clarissima vestra presentia cohonestare,
hocque ipso vestrum in Doctorem DONELLVM
contestari amorem non estis dedignati. Simul
etiam*

ORATIO FVNEBRIS.

etiam A. V. summopere, deinceps quoque parem
 uti curam ac benevolentiam Academia vestra
 membris, viduaque DONELLICÆ prestare velitis,
 oro rogoque.

Quia porro manu fricari manum; μῆτις ἢ χεῖρες
 ἀδωρή εἶναι μολύβη, veteri fertur proverbio: Vos ego,
 Viri Clarissimi, doctissimi que, quos veluti Lumina
 quaedam Academia sua prudentissimus noster
 SENATUS, DD. que Scholarcha imposuerunt, per
 Nominis gloriam divini, vestrae rationes Voca-
 tionis, et vestrarum tranquillitatem Conscien-
 tiarum, uti semper, hoc praesertim tempore, pra-
 repto Academia nostra tanti nominis Doctore,
 qui solis instar, licet ut ille Zodiaci signa, ita cer-
 tas hic domicilij sedes mutauerit saepius, cuncta
 tamen, ubi demum cunquam vixit, suo colustravit
 splendore; ut inquam σάματα μὲν πολλαῖ, ψυχὴ δὲ μία,
 concordia cum primis inter vos studere, hacque
 ratione publica pariter ac privata velitis quieti
 consulere: vestra dein concreditam fidei Juen-
 tutem, officij memores, in sacris profanisque lin-
 guis et artibus, Vita communi necessarijs, quam
 poteritis, ut que haecenus singuli omnes enixè fe-
 cistis.

ORATIO FVNEBRIS.

cistis, fidelissimè instituere pergatis, infimis precibus, responsuros huic nostro voto nihil dubitans, obtestor.

Academia tandem hujus studiosos uniuersos ac singulos, uti parentum, tutorum, ac curatorum suorum voluntatis, & quibus de causis huc missi sint, quodq; Scholæ ἡμεῖς sint ἀγαθοί, summique κατακοινητέα DEI, memores; pietatem Doctōribus, studijs assiduitatem prestare, finemq; horum, Ecclesia nimirum, Scholarum & Reipublicæ gubernationem considerare sæpius velint, amanter, felices iisdem vigiliarum progressus ex animo comprecans, submoneo.

Hæc si singuli, quo pposuimus ordine fecerint: DEVS, qui gemitus nunquam spreuit suspirantium, nostris quoq; votis est, quosq; ad illum modò ablegauimus internuncios, precib. nostris annuiturus, utq; Academia hæc à tanto resecta vulnere, inter nubila caput rursum condere, ac honestissimarum præsidia disciplinarum Ecclesiæ, Scholis & Rebus publicis serie continuata suppeditare multiplici scœnore perpetuò possit, futurum.

D I X I.

I


BENE-

BENEVOLO LECTORI
PLVRIMAM TYPOGRA-
PHVS SALVTEM.

*Ne columnas, quæ præter spem supersunt, vacuas offerremus:
subsequentes volumus Epistolas adjungere.*

Clarissimo, doctissimo, humanissimoq; viro D.
HVGONI DONELLO, IC^{to} & Ante-
cessori &c. Domino suo ob-
seruandissimo.

S. P.

T felix anni præsentis ac insequentium auspiciis.
Nisi de tua mihi certo constaret certius æquanimitate,
Ἐπισημοεια, candore, Clarissime doctissimæque vir,
arrogantem ipse me dicerem, quod ausim inconditis
hisce literis meis, E. T. obstrependo potius anferis in-
star, quàm interpellando molestiam exhibere. Sed ab hac me teme-
ritatis opinione facile tuum liberabit grauitate solidum, conditum
humanitate iudicium: meus dein ipse animus, *Μένυς ἀείρος*; com-
munis deniq; bonorum omnium in te amor. Complures jam an-
nos nominis tui celebritas totum peruolitauit Christianum orbem.
Galli primum tui, ex quibus oriundus es, diuinam illam admirati
sunt in enucleando jure, diligentiam tuam non minus quàm facili-
tatem, eoq; mærent te absente: Itali & Poloni disciplinæ se tuæ
fatentur alumnos: Belgæ, Hollandiq; lachrimis tuam à suis pro-
uincijs sunt abitionem profecuti. Germani autem nostri omnium
sunt felicissimi, quod, quæ fama & auditione antehac de summis
tuis virtutibus, eruditione, docendiq; juris facultate acceperant:
ijsdem jam ipsi collustrantur: & de quibus reliquæ Nationes exi-
guo tempore gratulatæ sibi sunt: ijs hodie felicissimè fruuntur, &
fruituros se quàm diutissimè tecum & optant & sperant: pietate
nimirum tua, affabilitate, & in medium consulendi quorumuis
studijs voluntate propensissima. Ex quibus certe, quid Respublica
literaria, politica nostri Senatus Reipublicæ, quod te, tanta, tam
rara virtute virum, acceriri curauerit, debeat: facile quidem posset,
si hu-

si huius esset veloci, vel temporis res, pluribus doceri. Vnicum
hoc, quaeso, liceat mihi pace tua verè proloqui: ferque quaterque
felicissimos illos esse, quibus Altorphina in Academia tua perfrui
consuetudine, amicitia, familiaritate, diuinitus datum: tua inquam,
qui juris es, hoc quidem seculo, Monarcha, ejusdem nō minus atq;
Papinianus noster, asyllum, & ditissimum possides doctrinae lega-
lis thesaurum. Quanta igitur me lætitia perfusum censes, vbi te
primum Altorphi conspexi, dextramque junxi dextræ, fide, virtu-
teq; præstanti? cū dein ex interuallo tuam rebus ipsis cognosce-
rem singularissimam humanitatem? Et demum, vbi tu nuper, hō-
noris mei causa, cujus Exemplar E. T. hisce transmittō, *Orationis
funebri* recitationi interfuisti, vultu hilari, qui sermo quidā tacitus
mentis tuæ fuit, & benignissimæ erga me voluntatis? cumque eam,
licet exilem ac jejunam, tamen tibi non modo nō displicuisse (quod
ipsum beneficii loco posuissē) sed & apprimè placuisse (de quo
planè triumpho) humanissima p̄pensione inductus, præ te tulisti.
Egissē E. T. hoc nomine præsens præsentī gratias: non videlicet
ignarus, *ζῶντος φωνῆς μείζω ἀνέργειαν εἶναι*, & fortassis ita fieri decu-
isset: sed pudor me quidam subrusticus, ne id facerem, deterruit, or-
tus à conscientia tenuitatis meæ. Quia verò *αἰσχρὸν σὺν πᾶσι*, licet
adhuc permagna essem in *ἀρετῇ*, committendum tamen non putavi,
vt vel superbiæ mihi nota, vel *ἀχρεΐας* iniuri meritò possēt.

Ago itaque E. T. ob hanc illius in me singularem affectionem
gratias, non quantas quidem deberem, si Romano pollerem elo-
quio, sed quas omnino possum maximas: habeo alteras tantas:
sumq; relaturus aliquando quales quales vbi id, diuina benignita-
te, vti præstare possim, concessum mihi fuerit. Interim E. T. ani-
mum illum meum syncerum, apertum, candidum,

(Odit enim ceu claustra Erebi, quicumque loquuntur
Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore condunt.)

prædem do, sistoūe. Deumque Opt. Max. submississime oro, rogo-
que, vt E. T. cum honestissima illius Coniuge, totaq; ob veri pro-
fessionem domo profuga Ecclesiola, quàm diutissimè tueri ac con-
seruare velit. Hisce valeas, meque porrò amare pergas, tui obser-
uantissimum. Noriberga xvii. Calend. Februarij, salutis reparatæ
Anno 1591.

E. T.

Observantis. iuxta & amantissimus

CASPARVS BALTHASARIS F.
Paumgartnerus.

NOBILI VIRO D. CASPARO
PAVMGARTNERO HVGGO
DONELLVS S. D.

ACCEPI, vir Nobilissime, munus tuum, id est, ORATIONEM nuper hinc à te publicè apud nos cum laude habitam, unà cum amantissimis literis tuis, quibus munus tuum, vel potius nos ipsos, ornare tibi visum. Incertum est, vtrius rei nomine majores tibi gratias agere debeam. Oratio siquidem ipsa satis sese dignitate & merito suo commendat. Quæ si ita placuit, cum recitares, & audita ita à me, uti scis, expetita est: dubitare non debes, quin missa jucundissima euenerit. Sic enim lecta & recognita voluptatem auget, quam auditio citò præteruolans tantum velut asperferat, & de rebus cognitu vtilibus cupidum magis erudiet, quas ei ORATIONI insertas probè memini, nec minore voluptate, te orante, præsens audiui. Literæ autem tuæ, etsi pondere rerum & magnitudine orationis inferiores; tamen id habent, quo præcipua quadam jucunditate sum affectus, & fructu prope dicam non minore: quandoquidem eas eximij amoris erga me tui insignis testes esse voluisti. Sic enim scriptæ sunt, ut nihil prætermiseris eorum, quæ solent ab amantissimo animo proficisci. Itaque ut sint ea, quæ mihi tribuis, maximè ejusmodi, quæ ego minimè agnoscam; aut si quid, certè sit tale, quod intelligam DEI donum esse, cujus solidam gloriam illi deberi sciam: tamen cum omnia sint animi non solum de nobis optimè sentientis, sed etiam nobis summa omnia & felicia cupientis: est, quod eum animum, nisi sim ferreus, ipse mutuo complectar, & mihi omnibus modis gratum esse, ut est, præ me feram. Deuinxisti igitur me tibi vtroque nomine vehementer, & quod misisti, quod auebam, & quod tam plixè, quanti me faceres, quamque me amares, per literas ostendisti. Illum animum, spero, pro tua constantia mihi conseruabis, quamdiu nihil me indignum eo facere cognosces: ego autem omni studio, atque omnibus officijs tueri & augere conabor, dum viuam. Vale. Altorsij XIX. Ianuarij
M. D. XCI.

*Tuus merito tuo idem ille,
qui supra.*